cetera cognitionum instrumenta non ita illustrat, ut fœcundior eorum usus evadat. In arte critica moralis certitudinis fundamenta haud solide constituit; quæ probabilitatis, & certitudinis ex auctoritate ortæ propria sunt, aliquando confundit, aliquando ex una ad aliam transfert (L. IV. n. DXV. not. 3.). Denique extranea multa inducit, propria quædam adimit, & amplificatione minus apta peccat.

CXLVI. Horum æqualis FROMONDUS; qui excellentis ingenii magnitudine, & ubertate aliquid novi quaque de re præsentiebat, ad libertatem philosophicam magnopere comparatus. *In generali, & nova ad Phil. Introductione* suam quamdam rerum, & idearum, ac omnis generis judiciorum analyseos rationem sequitur, inusitatum loquendi modum adhibet. Multa, nec necessario, pervertit, immutat (1). Illud semper videtur agere, ut vulgaria, absoleta novis nominibus, novaque tradendi via commendet, exornet; verum tenebras offundit. Melioris notæ sunt, que de probatione ostensiva, probabili, & dubia habet, ac lucem rebus afferunt.

CXLVII. DE FELICE omnia ex GENUENSI, CONDILLIACO, & VATSII *Log. instit., mentisque cultura*; multa facilitate, & claritate præstat. DIDEROTIUS in quodam Logicæ prospectu *Encyclopediæ* applicito totam Logicam judicandi arte contineri statuit; qui dum in eo est omnis, multa, & inania disputat. Illud tamdem sibi sumit; & concludit, universas in intellectum, ideas, & syllogismos investigationes esse plane superfluas; immo totam ipsam Logicam, cum mens aut recte ju-

(1) Hujus notæ specimen V. inferius *L. I. n. III. not.* 2., & L. II. n. CXXVII. not. 2.

judicet, aut ea non percipiat, quæ illam ad bene judicandum compararent.

CXLVIII. Ab eo, in quo LOKIUS finem fecit exorsi sunt BONNETUS, & CONDILLIACUS. Ille analyticus diligens, & prope summus, modestus insuper, & ingenuus, quantum sapientia cogit, facultatum animæ analysim mira sagacitate multaque doctrina complevit; earum generationem, incrementa, dependentiam mutuam, adjumenta, impedimenta sapienter exposuit. Sensuum etiam analysim aggressus est; & celeberrima illa hypothetica statua inducta, cui nunc unus, nunc alter sensus accedat, quid singulis debeamus enucleat. Et hæc in facultatum animæ analysi. In *Miscellaneis* multa præclare, quæ ad Logicam. In *Palingenesi* vero, aliisque locis quibusdam, veterum, PYTHAGORÆ præsertim, opinionibus, quas LEIBNITIUS etiam arripuit, indulget, assensui laxat habenas, nec omnino cautus, ac temperans videri potest.

CXLIX. CONDILLIACUS analyticus, sed qui à BONNETO vincatur, multis in libris multa exquisiti saporis habet, interque ea maxime quæ ad egregiam Logicam perficiendam conducunt. LOKIUM accurate emendas, & eidem appingit omnia, quæ prætermiserat. Unam fortasse artem criticam non explet, nec de morali certitudine pro dignitate agit.

CL. His si addas, quæ ALAMBERTUS, Geometra eximius, meditatus est, quæque mole parvis, pretio grandioribus Philosophiæ elementis disserit; ea insuper, quæ in illustrationibus adjunxit; miraberis, tot esse in promptu ad absolutam, & perfectam Logicam elucubrandam (1). Sed judicium ma-

(1) In *Encyc.* Art. LOGIQUE idem judicium fertur;

maxime intelligens, certum, & acre necessarium est, quod bona opportune seligat, inepta, & prava rejiciat, nonnulla addat, omnia suo loco ponat, numquam luxuriet, numquam in obscuriores angustias incidat.

CLI. Hi sunt, qui ad Logicam, & Metaphysicam acuto ingenio, magno studio, multaque opera adhæserunt, quos sub CARTESII, vel LOKII vexillis collocabam. LOKIUS nos ad beatam illam Insulam revocat, quæ tantam virorum immortalium, Metaphysicorum præsertim copiam effudit. Horum aliquos ex iis, qui supremum diem explerunt, quique restant (1), honoris causa nominare est animus, CLARKIUM, BERKELEIUM, HUTCHESONIUM, HUMIUM. CLARKIUS magnis inimicitiis, & circa spatium, tempus, Deum, animam, libertatem disputationibus illustris, suis operibus totam quasi Philosophiam ad religionem spectantem complexus est.

CLII. HUTCHESONIUS in ratione explicanda, qua rectum à pravo secernunt homines, sexto sensu morali, de quo jam aliqua CUMBERLANDUS, multa SAFTESBURIUS (quamvis is alio detorserit, & eo legem omnem, omnemque moderatorem sustulerit) hoc, inquam, sexto sensu dif-

tur; expletam scilicet, & undequaque perfectam Logicam adhuc deesse: BONNETUM vero, & CONDILLIACUM ejusdem principia suppeditare. *Encyc.* Yverdon.

(1) Aliquos inquam Anglorum, ceterarumque Gentium; neque enim de SMITHO, BURKE, BAXTER, BILFINGERIO, SULZER, MENDELSSHON, LAMYO, BULLIERO, ANDRE', aliisque dicere instituti ratio patitur; sterilem vero nominum catalogum conficere hujus loci non est. *V. not.* 5. *n. CXXX.*

difficultates non tollit, sed auget, aut ense veluti expedit.

CLIII. BERKELEJUS, & HUMIUS liberiores, etiam dissoluti. Ille acumine ingenii nulli secundus, id quod omnes maxime credunt, & sentiunt, id, à quo numquam divelluntur, corpora hæc solida, & spectabilia adeo dubia reddidit, ut non solum sibi, sed ceteris, dum ipsum audiunt, inania esse simulacra suadere videatur.

CLIV. HUMIUS in libertatem pugnat; rationi, nescio quem, instinctum præfert; nullos effectus, nullaque phænomena eam præcipere, nihil ad usum vitæ inductione inferre posse contendit; omnem huic certitudinem adimit, & præcipuum humanarum cognitionum instrumentum è manibus eripit (1).

CLV. Extremam Philosophorum cohortem fortissimam ad ipsam sapientiæ arcem educunt imperatores duo valde strenui, & sapientissimi, NEWTONUS, LEIBNITIUS, quorum cum summa virtus, & incredibilis, ante signa positi, generose stetissent, nec è Græcorum prudentissimis ducibus ullis cessissent. LEIBNITIUS ingenio systematico, si quis alius, universali doctrina illustris, omnia mente amplissima complexus est. Geometra plane summus, si NEWTONUS non extitisset, magnas inimicitias cum ipso pulcherrime gessit, cum LOKIO, BÆLIO, CLARKIO, STURMIO. Nemini non se opposuit, de spatio immenso, de Divino sensorio, de perfectione universi, de monadibus, de harmonia, de ratione sufficiente disputavit. Sibi non per fraudem, qua non agebat,

(1) *V.* inferius *L. III. C. V.* præsertim n. *CCXCIX.* not. 4. & *L. IV.* n. *DXV.* not. 3.

bat, sed plena fide calculum differentialem asseruit; atque inter duas spectatissimas gentes Britannam, & Germanam bellum acerrimum excitavit: de quo tot scriptores, ut Punicum, aut Pharsalicum non magis celebretur.

CLVI. Veteres impense coluit, Scholasticos plurimi fecit, quorum amorem THOMASIUS in ipsum instillaverat. Quare nova deprimere, vetera restituere, & ornare. Ejus observationes de cognitione, veritate, & ideis omnino mirabiles; multa spectant gravissima, utilissima. In *Theodicea* omnem rem metaphysicam ad examen revocat, & enucleat; sublimiora explanat, difficillima explicat, eruditione omnigena illustrat. Dei bonitatem, libertatem hominis, mali originem ostendit, secum conciliat. Harmoniam animam inter, & corpus, inter gratiæ, & naturæ regnum adumbrat; rerum elementa, virium naturam determinat. In posthumis *de Intell. Hum. speciminibus* LOKII æquus laudator, & cultor, multa ejus doctrinæ addit, multa emendat, plurima ex suo systemate inculcat.

CLVII. Hoc immensis voluminibus exposuit WOLPHIUS discipulus LEIBNITII fidissimus, & egregius. In tota Matheseos disciplina excellens omnia geometrica methodo adornavit; etiam logica, in quibus minuta, & manifestissima ostendit; unde, si fieri posset, illam methodum deteriorem omnium probaret. Nullus in critica; in probabilibus, in inventione parcus, in tota disputandi facultate largissimus (1)

Leib-

(1) Immensitati voluminum numero non cedunt ii, qui Wolphiana recoquunt, contrahunt, interpolata assuunt, mutata vix forma, fronte, divione, titulis de-

CLVIII. Leibnitianam amplitudinem NEWTONI ædificium non æquat, sed illam altitudine, & soliditate superat. Physica cœlestis, atque terrestris in eo sedem certam, & nobilem habent; adstant mechanica, & optica. Eas NEWTONUS hypothesibus liberavit; eas Geometriæ, & experimentis subjecit. Cauto consilio ab effectibus ad causas, ad vires, ad naturæ leges ascendens, universi, & quantitatum scientiam in tantam lucem evocavit, ut tota Europa primum ei locum dederit, & Philosophorum principem venerata sit. Demonstrationes mathematicas, & sublimiores calculos adhibens, virium supputationem, & æquam æstimationem, leges motus, universi theoriam detexit. Ad experimenta se se vertens, lucis, & colorum anatomen absolvit; attractionem tam inter minimas, quam maximas universi partes invenit. Denique opportune dubitans, brevitatem humanæ mentis animadv ertens, se causam attractionis, & alia quamplurima nescire ingenue declaravit.

CLIX. Atque hi summi Philosophi nostrum etiam sæculum honestarunt: in quo inventis jam Telescopio, & Microscopio; omni machinarum, & instrumentorum supellectile amplificata, & perfecta; nova illa lingua algebrica locupletata; Academiis, & doctorum virorum societatibus studiosissimis, & solertissimis per Europam institutis; magni viri (*) omni experimentorum genere, multi-

denuo producunt, & repente, ac facillime, quod non mireris, de qualibet philosophica facultate compendia, cursus conficiunt: ii sunt, quos tamquam angustos, steriles, incultos, horridos Logicos notabam (*Proem. n. XXI.*); è quorum numero nec illum exciperem, qui, licet unus è multis, ultimo tamen in septentrione non parum probatus.

(*) V. *n. CLI. not.* 11.

tiplici observationum copia, sublimioribus calculis Matheseos, & Physices incremento, & splendori consuluere, ut etiam nunc à multis, qui eorum vestigiis insistunt, egregie consulitur. Utinam omnes majorum non ossa imitaremur, sed sanguinem (1)!

OPE-

(1) Omnium philosophicæ historiæ Scriptorum accuratam notitiam præbet FABRICIUS *Bibl. Græca, Latina & latinitatis medii ævi.* Nonnullos, & præcipuos hic nominabo, DIOGENEM LAERTIUM *de vitis Phil.* PLUTARCHUM *de Plac. Phil.* STEUCHUM Eugubinum *de perenni Phil. Ger. Jo.* VOSSIUM *de Phil. & Philosophorum sectis*, STANLEIUM *Historia Phil.* BRUKERUM *Historia Critica Phil.* DESLANDES *Hist. critique de la Phil.* BUONAFEDE *Storia d' ogni Fil. è Restauratione d' ogni Fil.* FORMEY *Introd. à l' Hist. abregée de la Phil.* Multa etiam ad historiam philosophicam pertinentia, & quidem intimiora, erudite, ac diligenter tractata V. Apud CUDWORTHUM *Syst. Intell.* & ejus, commentatorem MOSHEMIUM, LAUNOIUM *de varia* ARISTOTELIS *Fortuna*, MORHOFII *Polyhistorem*, DUTENS *Recherches sur l' origine des decouvertes attribuées aux Modernes.* Multa denique apud unius, aut alterius Philosophicæ disciplinæ historicos. MONTUCLAM ex. gr. *Histoire des Mathematiques*, BAILLY *Histoire de l' Astronomiæ Ancienne*; SAVERIEN, *Hist. des scienc. exactes, Hist. des Phil. Modernes*, TARGIONI *degli Accrescimenti delle Scienze Fisiche in Toscana nel corso di LX. anni del secolo XVII.*

OPERATIONUM MENTIS ANALYSIS.

I. Norunt omnes, mentem multas operationes exequi, quibus congruentes facultates in ipsa sint, oportet. Si animæ natura, & essentia primaria, æque ac rerum omnium, nobis non esset penitus ignota (1), jam facultates ex eadem deduceremus; earum ordinem, *filiationem*, ut ajunt, dependentiam, vim, rationem, qua in actum erumpunt, perspiceremus: à facultatibus ad operationes progredientes ex causa pateret modus, quo eædem operationes faciles, expeditæ reddantur, & quomodo tandem ad perfectionem deveniant. Sed illa essentiarum ignoratio efficit, ut viam omnino oppositam tenere debeamus. Ab operationibus ad facultates ascendimus, atque animum in nos ipsos convertendo, nosque attente intuendo mentis complicatam notionem evolvimus; illa omnia, quæ ad facultates, & operationes pertinent, quantum fieri potest, observamus, colligimus, quæ numquam multiplici hac observatione prætermissa cognovissemus.

II. Cum igitur mentem ad nos ipsos perscrutan-

(1) *Proœm.* LXVIII.